

Vossig de tribus Symbolis.

Calixti Praeemium in Augustini libros 4 de doctrina Christiana et Vincentij commentum in eundem.

Oratio panagyrica.

Dissertat. de Sacris.

de Baptismo et Eucharistia

de Sacro Santa Domini coena.


de statu animarum separatarum et.


Decem in qd. Avianos.


Programma. qd. Nestorium.


~~de~~ ~~de~~ ~~de~~

Strophis qd. Augustinum.















DE PRIMO PRIN-
CIPIO THEO-
LOGICO.

Ad GEORGIVM CALIXTVM Lutheranum,
Theologiæ in Academiâ Helmstetensi
Professorem publicum,


EPISTOLA

BARTOLDI NIHVSI, è LVthe-
rano jam Catholici.



A N N O

M. DC. XXV.



D. GEORGIO CALIXTO,

S. P.

I.



Larissime Dn. D. Calixte, domine & amice honorande:
Ex quo Coloniae sum, per literas ad Horneium non semel
te saluere iussi. Cur sodes neuter vestrum ne quidem
verbulo me contra dignatur? Quicquid sit, haud profe-
ctò possum deniq; quin te compellem, ipsemet, adeoq;
occasione illa tuum simul de nonnullis iudicium exquiram. Neq; id il-
libentianimo feres, scio.

Videantur

II. An iis, quae reuelata sunt diuinitus, fides adhibenda diuina, ne-
mo dubitat, vt nosti. Sed vnde constet iam, reuelata esse diuinitus, quae
credimus in religione nostra, id verò sicuti disputatur, ita ab isto altero de Ecclesia
admodum differt. Constare a. de eo nobis debet ex principio aliquo si. c. 9. & Be-
ue fundamento inter Deum & nos medio, sed infallibili tamen (quis can. de Fide
neget?) omnibusq; publicè conspicuo, ac omninò tali, extra cuius ap-
probationem, nemo teneatur quidquam habere pro reuelato diuinitus rita. c. 8. q.
ad credendum fide vniuersis communi siue catholicâ. Certè ni princi-
pium eiusmodi vnum aliquod detur, sitq; & perpetuum & fide infalli-
bili creditum, nihil sit quod nos in vnitare religionis contineat: quod
nihil foret miserius, nihil à prouidentia Dei magis alienum. Quodnam
igitur tandem illud? Ego totam do Ecclesiam; tu Scripturam Hebrai-
cam Veteris & Graecam Noui Testamenti. Vter iam rectius? *sect. 6. &*

III. In Epitome tuâ ais, infallibilitatem Ecclesiae & agnosci nobis alii.
quidem pro tali principio, & interim reipsâ non agnosci sed aliunde
probari; ac quod grauius est, ita quidem probari, vt committamus &
circulum & petitionem principii: nempe credi nobis infallibilitatem
Ecclesiae propterea quòd ostendant illam Scripturae, & contra credi
nobis infallibilitatem Scripturarum, quia eam credi iubeat Ecclesia; 342. ac. 355
imò textus quoq; pro infallibilitate Ecclesiae allegatos, omninò sic &
non aliter intelligendos, quia sic explicentur ab eadem infallibili no-
stra Ecclesia. At reuera tu potius peccata ista incurris. Scriptura quidè,
quam dixi, Hebraea & Graeca tibi pro principio tali unice est, sed inte-
rim non est, quum tuam potius & versionem & explicationem ubique
pag. 16. lin. 17. p. 40. l. 12. & pag. 57. l. 20.

A 2.

respi-



respicias. Vnde enim scis, quid sibi velit codex tuus Hebræus & Græcus? Ex versione & explicatione. At vnde scis, eam non esse erroneam?

p. 57. l. 6. Ex eodem Hebræo & Græco. O miseriam! & tantò quidem maiorem, quòd versionem quamlibet ipse contendas esse fallibilem, atque sic de explicatione tuâ multò amplius concedere id cogaris. Sed & alio pacto tibi met repugnas in recessu. Quum n. principium tuum primum isto

p. 46. l. 15. efferas axioma: *Quicquid Scriptura dicit, à Deo reuelatum est*; quis non videat, aliter tibi id innotescere haud potuisse, quàm per inductionem huiusmodi; Hæc & illa & ista & quælibet reliqua Scripturæ particula continet aliquid à Deo reuelatum? At sic non principium primum est, sed conclusio è notioribus elicita. Aut si nihilominus primum est, quero ego, vnde scias, pro vero habendum esse? Ex veritate istarum singularium. At vnde certus es de illâ? Quia primum tuum principium est axioma istud vniuersale. Res mira. Taceo, quod Scripturas esse primū

p. 17. l. 1. principium, efficere nobis coneris inde, quia Berrhoënses laudentur in
7. Scripturis eo nomine, quod S. Pauli doctrinam examinauerint ad Scripturas. Atqui hoc est probare nobis auctoritatem Scripturarum è Scripturis; quod petitio principii est. Et cur non inde potius inferas, solum Veteris Testamenti Scripturas esse principium quum doctrina S. Pauli, quæ erat Noui Testamenti, ad istas examinata à Berrhoënsibus fuerit? Quanquam & hoc contra te est illic vbi Verbum, Thessalonicensibus ab eodem Apostolo annunciatum, sibi ipsi ex se solo fidem fecisse asseris, Hinc te expedias velim, si potes quidem. Sanè à tuis obiectionibus vindicabo ego nos facilimè. Neq; n. ad rem sic argumentamur, vt

p. 19. 32. tu dixisti, neq; ad hominem. Nam rem ipsam quod attinet, Ecclesiæ infallibilitatē non ob aliud credimus ita firmiter fide diuinā, quàm quod Deus per eam nobis loquatur; quoniam aliàs primū in eo genere principium siue fundamētum ipsa non foret. Non, inquam, ob auctoritatem Scripturæ credimus, Ecclesiam esse infallibilem, sed vnicè Scripturam in diuinitus reuelatis habemus idèd, quia asseueret Ecclesia, tanquam nobis notior. Quare nec textus pro infallibilitate Ecclesiæ adducimus, quasi inde eam nobis demonstremus, tanquam posterius notam; sed potius, quia ipsam iam antè credimus, idèd concludimus, necessariò ob eius testimonium sic intelligendos illos esse. Ad hominē autem, Scripturas quidem admittentem, sed ignarum infallibilitatis Ecclesiæ, saltem hoc pacto ratiocinamur: Scripturæ affirmant, Ecclesiam esse infallibilem, Ergo & ipse eius infallibilitatem admittere debebas. Nequaquam verò contra eundē pergimus: Scripturas idèd & esse infallibiles,

& de infallibilitate Ecclesie in textibus adductis loqui, quia ipsa Ecclesia sic determinet. Nemo, inquam, prudens virget isto sermone talem, qualem diximus. At, inquires, quomodo ergo ille convincetur, ut fide divinam pariter cum Catholicis credat, & Ecclesie auctoritatem prius credendam, & textus allegatos de infallibilitate eiusdem certo accipiendos? Respondeo. Id verò solus Deus efficere valet; frustra que disputando tentatur ab homine: maximè quum etiam, secundum doctrinam nostram Catholicam, homo iste non-Catholicus fide saltem humanam & acquisita Scripturarum veritatem credat, ut diuinam siue infusam *Vide S. iactitet. Sed cur ergo argumentamur ad eum à Scripturis? Non nisi ut Thom. 2. 2. voluntatem refractariè obductantis quoquo modo subigamus ac dispo-q. 5. a. 2. Et namus, siue obstacula, infusionem fidei diuinæ impediencia, quantum *Becan. de in nobis est tollamus. Quapropter & merè humano more inculcatum *Fide, Spe ei vim verborum, Ex. gr. Ecclesia est columna & firmamentum verita- & Char. c. tis: ostendendo, per Ecclesiam intelligi ibi rem publ. Christi visibilem u. q. 3. ite ac propterea seruatricem veritatis reuelatæ per eos à quibus gubernatur c. 12. q. 4. 3. tur supremo loco, perinde ut quodlibet regnum administrat ac tuetur & c. 8. q. 4. iustitiam per illum qui sedet in tribunali cum sceptro. Sed uti redeam § 9. unde diuerti animaduertis puto, affinxisse te nobis probationem circularem & petitionem principij. Quod & è Becani disputatione de Circulo scire potuisses, nisi cæcutiisses.***

IV. Præter hæc duabus adhuc alijs de causis negas, auctoritatem Ecclesie esse primum in eo quod diximus genere principium siue fundamentum. Primò ais, principia prima talia esse oportere, uti & ipsamet fidem sibi concilient, quum ritè offeruntur intellectui, & ab omnibus admittantur; hoc autem non euenire in principio nostro. Atqui nonne eadem ratione dicere id fas mihi sit & de principio tuo? Certè verbum Dei, *αὐτὸ πρῶτον* esse, non inficior; at verò Scripturas esse verbum Dei, de eo p. 346. l. 3. certum me de suo ipsa non reddit: imò neque te. Quid enim fides in Scripturis allicit mentem tuam, ut auctoritatem ipsius diuinam inesse, fide diuina existimes? Verfione aut explicatio? At neutra à Deo. Et multò adhuc minùs à Deo ipsamet picta litera, utpote authorem habens non nisi librarium, eumque autographo destitutum. Taceo quod malè concludis, Theffalonicenses credidisse Scripturis, arcana earum vi impulsos. p. 19. l. 2. Neque enim id dicit S. Paulus, utpote & de verbo prædicato agens, & causam assensus ne quidem in illud, sed in Deum, voluntatis nostræ dominum, referens. Et sic reuerà etiam est. Non verbum, sed Deus efficit, ut ratio obiectis, captum suum excedentibus, fide supernaturali adstri- p. 242. pule tur;



pulerur; (prout ipsemet alibi quoq; fateris.) Sed heic tu forsā principiorum creditorum eandem putasti esse conditionem, quæ est naturalium. Apage cum Theologia ista, fidem vestram nil nisi opinionem humanam esse, nimis manifestè quoq; arguente. Quanquam nec principiis istis naturalibus aded promptè assentimur propter aliquam in ipsis vim, mentis nostræ tubatricem, sed quia Deus omnipotente manu sua mentis naturam prius ita comparauit, vt non possit non consentire illis oblati.

p. 33. l. 25.

V. Deinde ais, factum è Judæo Christianum, ignorata autoritate siue infallibilitate Ecclesiæ, non ergo dicendam hanc primum ac necessarium fundamentum. Et in exemplum afferre sine dubio volebas Christianum Gersonem, de quo alibi ais *constanter eum in fide semel susceptâ hætenus perseuerare, adedq; moriturum potius, quàm vt illam eiuret.* Atqui an nescis, innumeros factos Christianos, ignorata Scriptura tua Hebræa & Græca, imò antè quàm hæc posterior extaret? Certè id latere te non potest. Ergo Scriptura illa tua primum principiū non est. Heic iterum obmutesces, scio. At ego tibi respondebo facillimè. Esto enim, factum Gersonem istum è Judæo Christianum, ignorata infallibili autoritate Ecclesiæ; at non Catholicus ille, (contra nos, vt scis, disputas.) indeq; & ea, in quibus idem nobiscū sentit, fide merè humana & priuatim acquirit, nequaquam diuina aut catholica, credens; prout antè quoque monuimus. Actalis, inquam, omnino est tuus ille Gerson: cuius & in religione Christiana constantiam abs te prædicari miror, quum initio vel iurauerit vel certè intrare paratus, per integrum decennium fuerit in Confessiones Lutheranas, modò viuendi potior commoditas oblata fuisset; ea autem Wolfebyti denegata iurauerit in Confessiones Calvinistarum Anhaltinorum; penes quos & concionatorem nunc agit, atq; sic longè alios fidei articulos apertè tuetur. Quid facturum putes, si optio imperetur vel porrigendi ceruicem carnifici, vel aliam denuò fidem amplectendi? Ac tametsi mori hucusque & in posterum malit, quàm sententiam mutare, nihil tamen hoc te iuuet; quum & in Turcis, imò & in omni falsarum religionum genere tales inueniantur. Non, inquam, fidem diuinam Catholicam habet, qui non ob infallibilitatem Ecclesiæ, tanquam prius creditam; præsertim si alloquium Spiritus expertus modo notabili haud fuerit. Sed & fateor, posse Deum alicui seorsim fidem infundere articulorum, diuersorum ab eo, qui est de autoritate Ecclesiæ. Cæterum fides illa diuina, veluti non integra ita quoque priuata saltem foret, neutiquam autem & tota & publica siue
Catho:

Catholica; hac enim nemo nisi per ubera almæ matris Ecclesiæ deſatur
cœlitus.

VI. Atq; hætenus, Ecclesiæ infallibilitatem prius notam esse negasti in-
fallibilitate Scripturarū. Nunc in sensu quidem nostro, planè insuper cre-
ditu absurdam ipsam censendam, argumentis longè plurib. efficere moli-
ris. Primum est. Quia deſtituatur ratione. Leuis n. animi tibi est, admittere p. 349. l. 10
eam absq; probatione. Atqui ô homo cur non igitur & autoritatē princi-
pii tui reſicis, ut pote quod & ipsum pbari posse negas? Deinde q; nostrum p. 18. l. 15.
attinet, dupliciter spectari infallibilitas Ecclesiæ potest. Vno modo, quate-
nus est credita fide diuina: alio, quatenus fide & cognitione humana siue
acquisita. Prout priore modo sumitur, nō est leuis animi, assentiri ei ab q;
pbatione; sed iniquū potius est petere eius probationē. Nisi n. credideri-
tis, nō intelligetis. Tolle argumēta, vbi fides q̄ritur. Quod intelligim⁹, de-
bemus rationi; q; credimus; autoritati. Prout accipitur posteriori modo, Ecclesia ca.
pbari sanè manifestè potest, nō minùs propemodū q̄ esse Deum & habere 18. §. 8.
curam generis humani: q; vtrumq; aliàs fide etiā diuina credere tenentur vide & Be-
vniuersi Christiani Qua de re Gordonus & alii. Viam a. p̄bandi p̄rit no- can. de Fi-
bis insigniter p̄æ multis Thomas Bozius in volumine perquam nobili de de, Spr. &
signis Ecclesiæ. At sic probari seorsim autoritas scripturæ planè nequit. 7. c. 12

VII. Secundū est. Quia Ecclesiæ toti⁹ nomen prætendamus, & nihil nisi
Rom: Pontificē intelligamus. Atqui sic & tu Scripturas diuinitus inspiratas
prætidis, neq; v. quidq; aliud reapse intelligis, q̄ pictos à typographo in
Codice characteres Hebraicos & Græcos, & versionē explanationēq; hu- p. 330. l. 15.
manā. Porrò Ecclesiā à nobis p̄tendi & solum Pontificē intelligi, falsū est
Infallibilitas n. Pontificis apud nos non nisi ipsius Ecclesiæ est, ut pote lo-
quentis vnicè p̄ monarchiam hunc suū; perinde vt homo quiuis per suam
caput. Sanè in omni Monarchia idem vsu venit, imò & in Aristocratia nisi
q; ibi præses collegii Optimatum; per quē Senatus consulta p̄mulgantur,
tm̄ os sit, & cum toto demum Senatu caput cōficiat; quum contra monar-
cha & os sit suæ reip. & caput. Verū enim verò an & Scriptura ipsamet
absurda, quum rectorib. Ecclesiæ nomen Ecclesiæ tribuit? nempe verbis
istis, *Dicit Ecclesia, & Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi instar Ethnici & Publicani.*
An absurdus D. Thomas, vbi ait; Principē ciuitatis dici posse totā ciuita S. Thom. 2
tem? An absurdi Politici & Juriscōsulti, quū leges ab imperio Rom. lras 2. l. 25. a 7
dicunt, quas non tulere tamen nisi penes quos Imperii gubernaculum.

VIII. Tertiā est. Quia fidem suspendamus ab infallibilitate præsentis
tātūm Ecclesiæ ac Pontificis. Verū tu potius isto modo delinquis, ut po. p. 334. l. 28
te suspendens fidē à tua ipsius explicatione Scripturarū, & hanc à Versione & f. 99.

itidem



istidem prorsus humana, (vt ipse cōcedis) & hęc porro non à primo auto-
grapho, sed à p̄sente nouo Codice Hebræo & Græco. Hęc tibi obiciuntur
quidem rectissimè, istud alterum v. nobis omninò perperam. Quemadmo-
dum n. Ecclesia semper manet eadem numero republ. vtut decedant sin-
guli, & perpetuò alij subnascantur, (idq; perinde planè atq; in corpore hu-

*Digest. lib. 5. tit. 1. l. ces multi sibi inuicè succedant, vnū Ecclesiæ quoq; caput visibile manet, 76. & ibidq; instar inmotissimæ Petræ super Petra Christo fundatū. Eiusmodi inq; Gothofred. nihil p̄ te dicere habes. Neq; n. codex tuus numero idē est cū primo auto-
grapho, neq; sensus idē cū sublimi & subtili illo, quē habuere diuinit̄ illu-
strati P̄phete & Apostoli sed purè humanę versionis & explicationi inix̄.*

p. 336. l. 12 IX. Quartum est. Quia desit interdum Pontifex, sublato a. capite sic-
uti loqui nequeat, ita infallibilitate quoq; careat Ecclesia. *Sine dubio, inquit
nihil tum credent Pontificii.* Cōtra quæro ego, an nō fieri possit vt codex He-
bræus & Græcus ad manū tibi non sit, aut planè ēt. perierit? Omninò. E. &
ipse sine dubio ibi tū nihil credes: imò nihil credidisti, quū linguarū He-
brææ & Græcæ imperitus adhuc esses: (nam librum nō intelligere & non
habere, vnū & idē, puto, sunt) quid de te audio, prudentissime mi? Interim
q; nos attinet, velim scias, de Ecclesia cuius mortuus monarcha, idem sen-
tiendū. q; de regno quolibet electio in simili casu. Sicut enim nō pereūt
ibi iura maiestatis, ita neq; infallibilitas à corpore Ecclesiæ, maximè quum
Spiritus S. instar animæ, semper ei præsto sit. Sufficit ergo si credas ibi tū
porro q̄ credidisti antea, & si q; nouum tibi natum fuerit dubiū, nunquā
prius decisum, expectes, donec postmodum determinetur ab aliquo Pō-
tificum. Interim enim res de fide nondū est. Secus qui loquitur. p̄inde fa-
cit, ac si dormire aut febricitare assereret monarchiam quamlibet, dormi-
ente aut febricitate monarcha; imò & mortuam fuisse Ecclesiam, mortuo
per triduum principali eius capite Christo. Absit vti sic philosophemur.
Princeps quidem Reip. caput est, ac sicui non continuè capitis partes ob-
ire (vt caput physicum in animante) siue è. tribunali pro auctoritate lo-
qui necessum habet, sed saltē interdū, ita interregnū benè quoq; ad tem-
pus esse potest. Quod si v. plane abrogata fuerit electio monarchæ noui,
ibi capite demum truncata atque emortua foret Respublica.

p. 346. l. 19 X. Quintum est Quia Pontifex noster & merus homo & nonnūquam
peccatis maximis obnoxius. Sanè si Ecclesia, per ipsum loquens propter
ea fallibilis est, etiā Scripturę fallibiles erunt, vtpote conditæ à meris ho-
minib; & partim aperte (vt erat Dauid) partim forsan etiam occulte faci-
torosis. Sed neq; tibi è manu Dei aut Angeli, tuus codex Biblicus, vt scis.

Et an

*Calixtus digest. de
art. n. r. 20. 21.*

Et an verum Scripturæ sensum certò assequi tu ideò desinis, quia contra
maiestatem diuinam grauius interdum delinquis? Profectò etiam hinc
liquet, fidem tuã esse meram imaginationẽ humanam. Sed ad rem. Purus
quidem homo & peccator Pontifex priuatim est, at in actib. officii sui su-
premi ab anima corporis Ecclesiæ, cuius ipse caput, h. e. à Spiritu S. anima-
tur ac dirigitur, qui cum labi in fide nõ permittit. Vel inscius ergo pphe-
tabit, siue instinctu Dei loquetur, vt Carphas faciebat & Balaam. Certè
morum turpitudine aliqua in Pontifice, non plus derogat eius decretis,
quam decretis cuiusq; Regis aut Principis, eiusdem notæ, in suo genere. p. 337.

XI. Sextum est Quia dubitandum censes, an sit legitimus hodiè nobis & seqq.
Pontifex: nempe quum fieri possit, vti non cum debita intentione initia-
tus fuerit Sacramento ordinis vel ipse vel Episcoporum quispiã, per quos
à temporib. Apostolorũ Ordinatio in ipsum vsq; gradatim deriuata? Valde
enim verisimile est, inquis, & ferè itares habet, vt in *ys quæ ab industriã & curã hu-*
manã dependent, etsi vnus & alius & iterum alius actus recte se habeat, peccetur ta-
men. errorq; penitus non absit, si huiusmodi actus valde multiplicari contingat, præ-
sertim si non vnus sed pluriũ opera requiratur. Quid si v. (ais insuper) non modò
haud legitimè ordinatus, sed nec baptizatus sit, (nam & ad id iusta inten-
tio necessaria,) atq; sic genuinus Pontifex non sit? Imò & Simonia cuius-
piam eligentium ipsam in Pontificem, electionem totam facit irritã, pro-
ut sanxit Papa Julius II. Respondeo. Si propterea suspectum reddis eius
Pontificatum, quia lateat nos, qua intentione ordinatus atq; baptizatus
sit; quæro ego contra ex te, annon requiratur in librario intentio, quum
describit Codicem Biblicum? Ita planè, nam quum vigilantissimus etiam
facilè alicubi labatur, qui futurum sit absq; intentione incumbẽti operis?
Quid si ergo suspectus tuus Codex, tot præsertim sæculis à deperdito au-
tographo? Id profectò verius, quàm istud alterum. Nam fides codicũ ve-
storum tantum dependet à diligentia humana, eaq; priuata, in hallucina-
tiones prona. At v. quum de essentia Ecclesiasticæ Monarchiæ sit, monar-
cham eius legitimè esse tum ordinatum, tum baptizatũ; necessum est, ei,
qui pro Pontifice publicè agnoscitur à Cardinalibus, nemine cõtradicẽte,
vtrumq; istud reuera obtigisse. Nec tamen requiritur forsã, vt fide diui-
na id credamus, sed sufficit, si alio pacto certi simus. Aut si semper in talib.
postulas imediatã reuelationẽ diuinam, èt tibi ipsi dubitandum erit, vtrũ
sis membrum Ecclesiæ, nempe quum saltem è quorundã narrationib tibi
cõstat, quod parentes infantẽ te baptizari fecerint: quæ ferè haud maior
certitudo. q̃ qua putas, viro te illo, quẽ patrem salutas. genitũ, nec aliunde
suppositum. De Simoniace eligente Pontificem res ita habet. Interuenire
crimen

crimen hoc posse non nego. frustra n. aliàs esset interdictum illud Julii II.
 At si occultum est, notare id lege ista publica non intendit Papa, (quò de
 sibi occultis non iudicet Ecclesia) Si manifestum sit, idem contingit. q. in
 contractib. solet, fraudulenter iniis. Quàm diu dolus latet, còtractus ob-
 ligat. Vbi v. ille in apertum erumpit, irritus hic demù redditur, simulq; res
 in integrum restituitur, cuius iacturam passus alter, qui circumuētus. Ni-
 hil tale subsidio tibi est p. tuo Codice. Affirmas quidem, diuina providē-
 tia factum, vt Fontes Hebræi & Græci prorsus incorrupti ad te peruene-
 rint. At si id fieri potuit ministeriò tot librariorū ab initio, quidni & Pon-
 tificū cuius de requisitis ad officium prospicere Deus potuerit? Hoc sanè
 verissimū est: at tuū istud refutaui ego antea ex iis, quæ mihi ipsemet lar-
 gitus fuisti. Probas quidē, illæsum seruatum Codicē Hebræum, (de Græco
 a. files) quia Judæi, sicuti librarii nostri fuere, sic Masoram eo fine cōfeca-
 rint, mendorum omnium expurgatricē, integritatisq; seruatricem per-
 petuam certissimamq;. Miror, mi Calix te clarissime. Librarii sane nostri
 appellati à S. Paulo & nonnullis Patribus Judæi; at infallibilesne? Nemo di-
 xerit, cum plane infideles facti, etiam animā Scripturarum, h. e. sensum a-
 miserint, oculosq; velamine inscitæ admodum obductos gerant. Et cur
 obsecro tantopere fidis Masoræ, tibi (sat n. scio) ne conspectæ quidē, mul-
 tō minùs ad amissim collatæ cum tuo Codice? Aut vnde scis, Masoram
 ex emendato Codice confectam, ei que respondere vndique? Equidē fue-
 rit exactissima primitus: an v. per sæcula vndecim & amplius, nihil sphal-
 matum contrahere potuit? Imò id factum, ostēdit ēt, qui ipsam hodie de-
 fensat maximè, Buxtorfius in Tiberiade. Et quemadmodum suspecta, pin-
 de est autoritas Masoræ, ita ipsummet Hebraicum textum à mēdis imūnē
 haud esse, præter Hunnium, Brouchtonum, Scaligerum & Protestantes
 alios, itemq; Ariā Montanum Catholicū, ipsimet Judæi cōfitentur. Vide
 Gordoni Epitomen, & Serarii ac Marii Prolegomena in Biblia, Cotonii Ge-
 neuam plagiariam, & id genus plures: qui nec minùs de textu Græco No-
 ui Testamenti idem demonstrant. O fundamentum ergo fidei tuæ parum
 solidum!

De Aria
 hoc Gord.
 de verbo
 Dei: c. 9. p.
 15. & alijs.

XII. Ecce quicquid telorum in nos contorsisti, non modò propulsauit
 ego leuissimo negotio, sed insuper ita repercussi, vt perieris inde ipsemet.
 His adde jam, quod Ecclesiæ autoritas in vnitae continet eos, à quibus a-
 gnoscitur: quod Scripturarum codex nequaquam facit. Vtrumque, præ-
 ter testem experientiam, docet ratio euidentis, Ecclesiæ enim cerebrum
 codex est, ipsius Dei non hominis exaratus manu, autographus, non apo-
 graphus: vnus ac perpetuus, non multiplex aut vicissitudinib. obnoxius:
 viuus,

uius, non mortuus; indeque semetipsum clarius, quoties postulatur, explicans, non mutus, non Hebræus aut Græcus, sed linguæ nullius, quia supra linguas omnes, ita tamen ut utatur omnibus, prout vult. Quid sodes ad hæc tuus Codex pictus, aut est sensus tuopte marte apud animum conceptus ac formatus? Imò reuera codex iste vester nil nisi pomum Eridos vobis est, non captiuantibus intellectum in obsequium, cuiusquam ut vnicè ita infallibiliter diuina oracula enarrantis, sed fræna imbecillitati vestræ in temerarios ausus laxantibus. Hinc ad stuporem vsque multiplex ista perduellium factio. O plusquam Babylonem! neque enim hæc olim vsque adeò dissidiorum ferax.

XIII. Sed qui sit ergo, uti hæc sensibus tam obuia non videas tamen? Dicam. Quia præjudicijs humanis mentem occupatam gerens, neque quid Scriptura tua sit, neque quid nostra nobis Ecclesia, unquam attendisti hæctenus. Attende ergo tandem, si sapis. Scriptura, inquam, tua nihil est penitus, nisi mortua & suspecta litera in libro, & ex versione humanâ fabricatus artificio tuo sensus in intellectu. Quia in Euangelio, quod vultis, creditis, vobis potius quam Euangelio creditis, ait S. Augustinus. Ecclesiam militantem, fateris quidem nobiscum, esse Remp. & visibilem & ordinatam: at si respub. vna est, summum quoque tribunal aliquod habeat necessum est, & visibile quidem. Largiris porrò, statum eius esse monarchicum: at visibilemne? Ita. Monarchia. Christus inuisibilis jam: ergo aderit aliquis ejus vicarius, quo loquente ipse loqui censendus: nam principalis & vicarius cum plenâ potestate, non duo sed vnum sunt, ut ex Jure Canonico & aliunde sciunt prudentes. Sed quia, tui oblitus, nec monarchicum nec etiam aliud summum Ecclesiæ vestræ tribunal visibile admittis, quid dicam, nisi negari abs te, quod antè affirmasti, esse eam corpus vnum visibile? Certè nec Aristocraticè, nec Democraticè illa gubernatur, siue tandem imperiū sit penes politicos vestros, siue penes concionatores: nempe quia deest tribunal vnum, cui subsint omnes; perinde fermè ut Judæis hodiè, ex quo summum eorum euauit sacerdotium, iudicio Dei justissimo. Ac tametsi tribunal tale habeatis, instar Nestorianorum in Oriente & Abassinorum in meridie, particularis tamen ecclesia itidem siris, & nuper demum exorta; non vniuersalis, cujus regimini subditi sint Christiani ab initio omnes per totum mundum: prout nostra hypothesis de Ecclesia nostra habet, utpote neminem etiam perduellem à jugo illo absoluentiū, satisque consciorum ex historia, greges istos omnes exerrantes, à nostro quod diximus tribunali visibili summo discessionem primito fecisse. Atque ergo solum hoc tribunal nostrum ab erroribus in fide liberum: nempe

p. 281. l. 10

& p. 283.

l. 16 at. 23.

p. 282. l. 17

c. non putamus

de cō-

suetud. Es

c. Romana

Ecclesia, de

appellat. in

6.

quis

quia locus ibi capitis Ecclesiæ totius, quam errare non posse, vltro concedis. Concedis, inquam, hoc, licet in recessu neges, quando ei caput visibile p. 319. 125. non assignas, sed nescio quem consensum priuatorum hominum cum Scripturis: quum tamen, sicuti in Imperio Romano, ita in Ecclesiâ, tanquam Republ. itidem non Consulta prudentum, sed sanctiones Rectorum, obligare quemquam aptæ sint. Redite ergo ad vnitatem gregis Dominici, qui propriæ innixi intelligentiæ in terra illâ & vndiquaque horrida anarchiâ cœcidegitis; vbi priuata cuique stimulatio, publici decoris nihil, vbi quilibet oculus, & sic nullum corpus,

XIV. Sed hæc non nisi obiter. Poteram accuratiùs de tota re tecum agere, verùm de his quid sentias, quæso, prius expedi mihi, si vacat, & plurimum interim salue, cum amicis istis omnibus.

è Vestri adhuc obseruantissimo amantissimoque quem à tot annis
nostris

Bartholdo Nihusio.

Coloniæ, XXIII. januar. cio 10c XXIV.

F I N I S.

00 A 6446


ULB Halle 3
002 935 767




WMA

Intro ✓







22.

DE PRIMO PRINCIPIO THEOLOGICO.

Ad GEORGIVM CALIXTVM Lutheranum,
Theologiæ in Academiâ Helmstetensi
Professorem publicum,

EPISTOLA

BARTOLDI NIHVSI, è LVtherano jam Catholici.



ANNO
M. DC. XXV.

